TISCHENDORF, L. F C. von.

Pilati circa Christum iudicio quid

lucis afferatur ex actis Pilati.

Hrn Prof. C. K. Adams
zu freundlicher Erinnerung.
CTischendorf

PILATI
CIRCA CHRISTUM IUDICIO

QUID LUCIS AFFERATUR

EX

ACTIS PILATI.

AD MEMORIAM B. THEILII RECOLENDAM

NOMINE

SOCIETATIS LIPSIENSIS EXEGETICAE

SUSCEPTO PRAESIDIS OFFICIO

SCRIPSIT

CONSTANTINUS TISCHENDORF

THEOL. DR. ET PROF. O. H.

LIPSIAE:

AD. WINTER.

1855.

PILATI
CIRCA CHRISTUM IUDICIO

QUID LUCIS AFFERATUR

EX

ACTIS PILATI.

AD MEMORIAM B. THEILII RECOLENDAM

NOMINE

SOCIETATIS LIPSIENSIS EXEGETICAE

SUSCEPTO PRAESIDIS OFFICIO

SCRIPSIT

CONSTANTINUS TISCHENDORF

THEOL. DR. ET PROF. O. H.

LIPSIAE:

AD. WINTER.

1855.

Sancti evangelistae pro eo quo scripserunt consilio quemadmodum nullum vitae Christi tempus ita tractarunt ut accuratissimam singularum rerum componerent historiam, ita nec quae ultimi paschatis solemnibus circa eum gesta sunt Hierosolymae, tali modo conscripserunt quo piae curiositati penitus satisfacerent. Ad Synopticorum quidem quos vocant narrationes de his rebus ultimis grave accedit supplementum ex Iohannis evangelio; nihilominus multa sunt quae, sive inter singulos differunt sive praetermissa ab omnibus sunt, scire accuratius cupiveris: non quo quicquam desit unde ipsa Christianorum fides corroboranda sit vel augenda; sed quo maius in illis rebus ad salutem aeternam humano generi recuperandam inest momentum, eo plus studii ab iis qui sacram historiam indagant conferendum est ad id ut singularum earum, quemadmodum susceptae actae absolutae sunt, persequantur vestigia.

Atque hinc est quod omnia quae praeter ipsos evangeliorum libros ab antiquissimis Christianae ecclesiae temporibus ad nos de vita Christi scripta pervenerunt, viri intellegentiores quam diligentissime examinanda ducunt, ut discatur si quid inde historia ipsa evangelica lucis accipiat vel etiam incrementi. Cuiusmodi inter scripta eminere apocrypha quae di-

cuntur evangelia satis constat. Quae quamvis nec eorum quorum nomina prae se ferunt apostolicorum sint auctorum, nec sinceritate fidei aut veritatis amore ullo modo aequiparari queant canonicis scriptis, quorum sane auctoritatem affectabant: tamen, modo ad ea summae antiquitatis Christianae tempora pertineant quorum perexigua litterarum exstant monimenta, posse multa continere quae canonica suppleant facile intellegitur. Neque enimvero tantummodo poterant verum etiam debebant aliquam historicae veritatis rationem habere, quo plus fidei fieret opinionibus falsis iis, quas ad probandas stabiliendas propagandas ab auctoribus suis sunt inventa. Nimirum quicquid historici argumenti a dogmatica ratione vel minus vel plane non pendebat, id ad ipsam potius historiam conformare quam luxuriante ingenio fingere consentaneum erat, eo praesertim tempore quo aliquam earundem rerum gestarum memoriam inter multos exsistere certum esset.

Iamvero de ultimis Christi fatis si quaeritur, ad ea apocryphorum scriptorum nihil magis pertinet quam Acta Pilati. Ea dico Acta quae iam aetate Iustini Martyris, saeculo secundo medio, non modo circumferebantur sed magnam famam atque auctoritatem erant adepta: quae quidem non tam Pilatum auctorem habuisse quam a Christiano ex Iudaeis oriundo composita fuisse, luculenter omnibus iis probatur quae inde ab eodem Iustino et quinquaginta fere annis post a Tertulliano allata sunt.

At, quaeris, ista Acta ubinam sunt? Postquam dudum fuerunt qui suspicarentur in evangelio quod dici consuevit Nicodemi inesse plura quae ex Pilati Actis fluxerint, contra

dicentibus iis qui mentionem eius libri frustra apud veteres quaerebant [1]), mihi illud contigisse arbitror ut efficerem, librum recenti memoria nomine evangelii Nicodemi insignitum in tota exstitisse antiquitate absque Nicodemi nomine, propterea que prorsus errare qui antiquitatem libri auctoritatemque novella ista adpellatione metiantur [2]). Codicum enim Graecorum, quos ad edendam antiquiorem textus recensionem adhibui, omnium nullus alium prae se titulum fert quam qui respondeat Actis vel Gestis Pilati. Neque aliter veterrimus interpres Coptus habet. Quod ut quam recte haberet perspicuum fieret, imprimis videndum erat de variis libri exordiis vel prologis. Dataque opera restituisse mihi illud videor quod ab antiquissima horum Pilati Actorum ratione esset, obscuratum dudum satis ac varie iis quae posterioribus curis debentur. Felicissime autem in aestimanda istius scripti antiquitate accidit quod duo quibus continetur antiquissimi codices inventi sunt. Alterum Latinum rescriptum saeculi fere quinti repperimus Vindobonae; alterum papyraceum Coptum eodem saeculo facile priorem Taurini nobiscum communicavit Amadeus Peyron. Qui codices quum testentur nostra Pilati Acta iam quinto saeculo et Coptice et Latine vulgata fuisse, tum hoc efficiunt, ipsius Graeci textus originem quinto saeculo haud

---

[1]) Inter hos erat celeberr. *de Ammon*, qui disputationem de evangelio Nicodemi *Leben Jesu* (1842—47.) I. pag. 102 sq. his orditur: *Da trat zwischen dem sechsten und zehnten Jahrhundert ein kleines Buch hervor.*

[2]) Cf. editionis meae Evangeliorum apocryphorum prolegg. pag. LIV sqq.

dubie priorem esse. Qua cum re si componimus quae saeculis secundo tertio quarto de Pilati Actis testimonia data sunt, dubitari vix ac ne vix quidem potest quin idem libellus quem Iustinus, quem Tertullianus, quem Eusebius aliique norunt [1]), etiamnum eo scripto supersit quod nuperrime ad multos antiquos testes recensitum ipsi edidimus in nova evangeliorum apocryphorum collectione [2]). Is ipse quidem textus quem libellus ab auctore suo nactus est, in mira delitescit varietate codicum; sed idem de scriptis veterum aliis multis maximeque similibus valet, neque eiusmodi est ut manum criticam de-

[1]) Hanc in rem in Evang. apocr. prolegg. pag. LXIV. haec scripsi: „Iamvero quae singula vidimus historica, ea quandam testimoniorum seriem efficiunt. Iustinus quae Acta Pilati laudat medio saeculo secundo, eadem Tertullianus initio saeculi tertii percenset: porro eadem Maximinus imperator initio quarti saeculi suspecta atque irrita reddere studuit oppositis aliis novis iisque maxime contumeliosis; quo eodem saeculo quarto eadem commemorant Eusebius et Epiphanius: insequitur quinto saeculo Orosius, sexto Gregorius Turonensis. Ea vero quae ad nos pervenerunt Acta iam antiquissimo codice Latino palimpsesto V. vel VI. saeculi, item papyraceis foliis Coptis eiusdem certe aetatis continentur. An nihilominus putemus haec nostra diversa esse ab antiquis illis, quamvis quicquid de suis veteres docent, id inveniamus in nostris? Quo tandem modo subito perire poterant quae iam inde ab Iustini tempore tanta Christianis auctoritate valere videbantur? Aut quem tandem, quum vetera tam bona tantaeque ex longo usu auctoritatis esse sciret, alia nova ficturum fuisse putemus, ac finxisse vero cum tanto successu ut nova sua Graecis Latinis Coptis mirum in modum commendaret iisque vetera loco moveret atque exstingueret?"

[2]) Ipse libri titulus est: Evangelia apocrypha. Adhibitis plurimis codicibus Graecis et Latinis maximam partem nunc primum consultis atque ineditorum copia insignibus edidit C. T. 1853.

terreat vel frustretur, aut eorum excuset contemptum qui ad discendum reconditiora investigandumque paullo sunt segniores.

His breviter, ut par erat, expositis ad eam progrediendum est quaestionem quam in nostri libelli titulo expressimus. Quaerendum igitur est quid lucis afferatur Pilati circa Christum iudicio ex his quae etiamnum supersunt Actis Pilati. Qua in quaestione tractanda ita versabimur, ut primum videamus an inter canonica evangelia nostra et ista Pilati Acta conveniat de universa eorum persona qui iudicio intererant; tum in singulas inquiramus partes accusationis, defensionis, damnationis. Prior quaestio ita comparata est ut quo magis Pilati Acta cum evangeliis consentiant, eo propius ad ipsam accedere veritatem iudicanda sint, eoque plus auctoritatis ea adsumant quae, ubi de singulis iudicii partibus quaeritur, canonicarum narrationum videantur supplementa. Ut enim illud quidem dubium non est quin consentientes evangelistae quattuor recte tradiderint universam iudicii rationem, et quo animo fuerint tum Iudaei accusatores, tum Christus reus suaeque ipse caussae defensor, tum Pilatus iudex: ita minime illi id egerunt ut quaecumque acta sunt quam accuratissime litteris consignarent. Proptereaque his in rebus possunt suppleri facile, in illis non possunt nisi confirmari.

Ac primum igitur ex auctoritate Actorum Pilati de Iudaeis accusatoribus dicendum est. Prodeunt ii quidem mendaces et perfidi, vindicandae legis ardorem praetendentes ipsorum odio atque invidiae, inter sacrilegii accusationem et civile crimen fluctuantes, parati ad arripiendum quicquid eos

ad propositum perducturum videtur, surdis ad deliberationem ac defensionem auribus, patientes ludibrii dummodo id quod volunt extorqueant, obstinati et a caussae suae desperatione audaces. Quorum nihil a canonica ratione abhorrere in promtu est. In ultima quidem Actorum parte, quae non ad iudicium pertinet sed ad res Christo ad vivos reverso circa Nicodemum et Iosephum gestas, aliud accedit idque ipsa proprium habent: repraesentantur enim Iudaei, licet etiam tum fidem Christo constanter negent, credulitate quadam et superstitione ad fidem propensi. Hoc plane e consilio erat auctoris Actorum. Ac possit vero huc comparari quod Matthaeus de custodia sepulchri a Iudaeis expetita narrat.

Christus vero malignae accusationi divinam animi aequitatem fiduciamque caussae iustae magnae sanctae opponit, persuasissimum habens nequissimum iudicium iri completum. Ipsis accusatoribus, de quibus dudum desperandum fuerat, iam nihil habet quod respondeat; nec impetui turbae impietatis ducum adiutricis aliud quam patientiam, quam silentium adhibet. Surgunt defensores: ipse vero nec his auctoritatem interponit. Nec magis ad Pilatum quicquam nisi interrogatus dicit. Dicit vero ad eum tantum quantum satis erat cum ad fraudem accusationis arguendam, tum ad significandam caussae suae dignitatem.

Pilatus denique, simul ac Iudaei accedunt, alienum ab iis animum non celat neque quantopere fanaticae eorum accusationi diffidat: hinc statim operam dat ut totam caussam declinet. Mox hominem minime vulgarem in iudicium vocatum esse videt: Iesu tam praesentem firmumque ac tranquillum

animum magni faciens Iudaeosque calumniantes cum contemptu eludens, omni studio ab iniusta refugit damnatione. Crescente vero Iudaeorum impetu, ubi intellexit quanto furore non iudicium sed damnationem adpeterent, suaeque ipsius famae ab eorum ira metuendum esse sensit, de iure de quo nullus dubitabat cedere malebat quam semetipsum in vituperationem odiumque adducere gentis seditiosae ac versutae: nimirum tanti non fecit hominis boni ac iusti mirificique vitam ut eius servandae caussa ipse ingrederetur periculum [1]).

Hunc igitur in modum quum auctor Actorum Pilati eos repraesentet quorum in iudicio circa Christum habito primae partes erant, prae iis quorum apocrypha ad nos scripta argumenti evangelici pervenerunt omnibus amantem se veritatis fideque vel certe examine dignum praebuit. Quam ad laudem imminuendam facile aliquis dixerit tantopere illum ab evangeliis nostris canonicis pependisse ut eorum non posset non vestigia persequi. At aliud testatur quae inter eum et evangelistas magna est in referendis rebus singulis differentia. Haec scilicet differentia, iam sepositis iis quae fabulam potius quam historiam redolent, tanta et talis remanet, ut quae ratio inter Lucam intercedat et Matthaeum, vel magis etiam quae inter Iohannem et Synopticos, eandem fere dicas inter Acta Pilati et quattuor evangelia esse videri. Quae quum ita sint, quam Acta Pilati personam accusatorum, quam rei, quam iudicis

[1]) Similiter hac de re iam exposui in libello de evangeliorum apocryphorum origine et usu apud doctos Haganos nuper praemio ornato. Cf. ibi pag. 158 sq.

depingere diximus, non modo ad istum librum commendandum valet, verum eam quoque vim habet ut evangeliorum fidem auctoritatemque confirmet.

Possit hoc ipso loco etiam de iis dici qui contrarias accusatorum partes sustinebant, de defensoribus Christi. His Acta Pilati augent scenam iudicii; in evangeliis enim plane non esse constat. Sed hac de re post explicare praestat, ubi de singulis agitur.

In singulis vero iudicii partibus examinandis non id nobis consilii est ut quaecumque in Actis Pilati perscripta sunt in disceptationem et controversiam vocemus, sed breviter tangentes quae ficti speciem habent, de iis quae haud indigna fide videantur accuratius videbimus.

Itaque praetereuntes quae de reo in praetorium introducendo narrantur, de cursore Iesum adorante et signis ingrediente eo mirum in modum se inclinantibus, quippe et fabulosa omnia et satis contraria iis quae de modo quo Iesum Pilato tradebant apud evangelistas, Matthaeum potissimum (27, 2.) et Marcum (15, 1.) leguntur, statim in ipsam accusationem inquiramus. Haec quibus verbis concepta esset, tantum non silentio praeterierunt et Matthaeus et Marcus; inde tantum quod Pilatum ex reo quaesivisse perhibent an Iudaeorum rex esset, coniicere licet quo nomine a Iudaeis accusatus fuerit. Nec fere accuratior Iohannes; orditur enim a quaestione Pilati: Quam caussam affertis adversus hunc hominem 18, 29; sed id ipsum quod quaerit non respondent illi, significantes tantum se Iesum non tradituros fuisse nisi male fecisset. Paullo plus ex Luca comperimus; Iudaeos enim hunc in modum accusantes facit

Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος ἡμῶν καὶ κωλύοντα φόρους Καίσαρι διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι: quamquam haec ipsa accusatorum verba fuisse vix credideris.

Iamvero in Pilati Actis accusatores ad Pilatum accedunt verbis his: Τοῦτον οἴδαμεν ὄντα υἱὸν Ἰωσὴφ τοῦ τέκτονος ἀπὸ Μαρίας γεννηθέντα, καὶ λέγει ἑαυτὸν εἶναι υἱὸν θεοῦ καὶ βασιλέα· ἀλλὰ καὶ τὰ σάββατα βεβηλοῖ, καὶ τὸν πάτριον νόμον ἡμῶν βούλεται καταλῦσαι. Quae ubi Pilatus explicatius dici vult, urgent hoc, sanctitatem sabbati illum violasse sanando aegrotos malis artibus. Quibus de artibus interrogati exclamant: Γόης ἐστίν, καὶ ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, καὶ πάντα αὐτῷ ὑποτάσσεται. Haec accusatio et civile crimen et blasphemiam complectitur: quam eandem criminum coniunctionem verba Lucae[1] significant. His vero quam maiorem verba Actorum perspicuitatem habent, eam nemo auctori verterit vitio. Ceterum Iohannes quoque Iudaeos in extrema caussae actione cum eximia gravitate ad blasphemiam provocasse facit 19, 7. Quod, opinor, non hanc vim habet ut eius rei antea nondum sit mentio facta. Quamquam enim Pilatus audita blasphemiae criminatione magis etiam turbatus esse dicitur, tamen ipsi mox accusatores ad crimen affectatae potestatis regiae recurrunt, ita ut inter utrumque totam accusationem fluctuasse probabile fiat. Accedit quod ex Pilati verbis auctore Iohanne primis: Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν

---

[1]) Memorabile est Marcionem apud Epiphanium, accedentibus pluribus antiquissimis Latinis codicibus, textum Lucae quem vidimus verbis his auxisse: *καὶ καταλύοντα τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας*, quae etiam propius ad textum Actorum accedunt.

κρίνατε αὐτόν, omnino concludendum est a Iudaeis tale quid iam prolatum esse quod ad ipsorum sacra magis quam ad civile ius pertineret.

Singulare vero momentum magicarum artium accusatio habet, quae postea repetita legitur. Magum enim Christum ab adversariis suis habitum esse testantur veteres multi[1]), ac pro comperta Tiberii Caesaris in magos severitate[2]) sane licebat Iudaeis aliquem criminationis eiusmodi eventum sperare. Pro ea vero qua essent astutia scelerisque perpetrandi cupidine, omisisse eos in tam iniusta caussa quicquam unde eventum sperare liceret, absonum fidei est. Quod nihilominus ista eos spes fefellit, in eo offendere non possumus. Fieri enim potuit ut Pilatus non pariter ac Tiberius infesto magis animo esset; nec verisimile est huic eum accusationi plus fidei habuisse quam reliquis. Ceterum quod Pilatus accusatoribus respondisse perhibetur: Τοῦτο οὐκ ἔστιν ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια, ἀλλ' ἐν θεῷ τῷ 'Ασκληπιῷ, id iam aliis a persona Pilati haud alienum esse visum est. Nec magis est quod Iudaeos ipsorumque caussam his elusisse dicitur verbis: Εἴπατέ μοι, πῶς δύναμαι ἐγὼ ἡγεμὼν ὢν βασιλέα ἐξετάσαι;

Iam supra vidimus quibus apud Iohannem actionis initium fit. Ea nec ipsa per se nec additis quae proxime sequuntur satis plana aut eiusmodi sunt ut nihil interpositum credi possit. Accusationis enim caussa non profertur; nihilominus Pilatus

---

[1]) Cf. prae aliis Orig. contr. Cels. 1, 28. 1, 38. Hier. in Psalm. 81, 8. Lactant. instit. div. 5, 3. („Fecit mirabilia: magum putassemus, ut et vos nunc putatis et Iudaei tunc putaverunt“ etc.)

[2]) Cf. Tacit. annal. 2, 32. Suet. vit. Tiber. 36. Dio Cass. 57, 15.

totam rem ad ipsos accusatores relegare studet. Rursus Iudaei sibi non licere poenam mortis decernere dicunt, cuiusmodi quid ut dicerent, in verbis Pilati nihil caussae erat. Atque concluditur inde ad ipsum crucis supplicium Christo destinatum. Haec vero omnia adhibitis Pilati Actis plana sunt atque expedita. Eadem ibi verba tum Iudaeorum tum Pilati leguntur III, 1. sed nexu satis diverso. Dudum enim ipsa accusatio locum habuit, atque item narratur rescivisse Pilatum, Iudaeos nulla alia re quam invidia studioque religionis sabbati vindicandae in Christum concitatos esse. Tum Pilatus prodit solem contestans se nullam in Iesu culpam invenire. Reponentibus vero Iudaeis: Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιός, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν, ipse addit: Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. Rursus Iudaei, quemadmodum iam ab initio rem suam esse capitalem significarunt, iudicium Iesu ad Pilatum, non ad ipsos pertinere aiunt dicendo: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Quae ad verba postrema Pilatum salse respondisse referunt: Ὑμῖν εἶπεν ὁ θεὸς μὴ ἀποκτεῖναι, ἀλλ' ἐμοί; Quemadmodum igitur Matthaeus et Marcus, praetermissis iis quae praecesserunt omnibus, iudicii initium eo faciunt quod Pilatus Iesum interrogat num sit Iudaeorum rex, ita nec Iohannes ipsum actionis coram Pilato initium indicavit. Indicatum vero, quamvis aliena accedant, haud improbabiliter in Actis Pilati legimus.

Praeterea ibidem etiam ipsa accusatorum nomina referuntur. Ea quam fidem habeant, difficile dixeris; nisi quod rectissime primo loco poni videntur Annas et Caiaphas. Gamalielis et Iairi nomina quod immiscentur, id certe non ad traditionem apostolicam confictum dici potest. Alexandri vero nomen nota-

bile est propterea quod unus de Petri iudicibus, auctore Luca in Actis App. 4, 6., eodem nomine utebatur. Ac videtur idem cogitari, ad quem cursor in solemni in urbem introitu Christi a Pilato se missum dicit Act. Pil. I, 3.

Inter haec ipsa, quae modo vidimus, ab auctore Actorum Pilati nuntius ponitur de somnio uxoris procuratoris. De eo constat solum Matthaeum 27, 19. mentionem fecisse. Quam quum fecerit proposita iam Pilati quaestione de reo paschatis caussa vinculis exsolvendo, quaeritur uter rectius nuntii tempus indicaverit. Apud Matthaeum quidem etiam illud aliquid momenti habet quod dicit, uxorem nuntium ad Pilatum misisse καθημένου αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος. Ab his ipsis verbis proficiscatur disquisitio nostra. Videntur ista, si ad Iohannis verba 19, 13. Ὁ οὖν Πιλᾶτος - - - ἐξήγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος comparantur, extremam iudicii actionem indicare. At planum est ea in re Iohannem a Matthaeo graviter dissentire. Iohanne enim auctore, postquam Barabbas dudum absolutus est, Pilatus ad ferendam de Iesu sententiam in tribunali considit, cf. 18, 40—19, 13. Cohaeret id cum eo quod idem dissentientibus Synopticis tradit, Iudaeos praetorium non intrasse; neque enim magis de tribunali inter utrosque convenire videtur: nisi fortasse duplex tribunal intellegi possit, alterum in praetorio idque a Matthaeo commemoratum, alterum idque gravius extra praetorium collocatum, unde sententia iudicis ferenda fuerit. Quae opinio eo poterit confirmari quod Iohannes non simpliciter dicit tribunal, sed addit in Lithostroto sive Gabbatha positum. Quod utut est, certe in utraque re, tum quod Iudaei praetorium intrasse dicuntur, tum quod tribunal

in eodem praetorio positum cogitatur, Acta Pilati invito Iohanne cum Matthaeo faciunt.

Sed ad quaestionem de nuntio uxoris Pilati redeundum est. Quodsi modo de tribunali apud Matthaeum commemorato recte vidimus, verbis eius: καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος minime indicatur extrema iudicii pars, qua Pilatus iam id agebat ut ferret de Iesu sententiam, sed universum iudicii tempus significatur, ita ut fere idem sit ac si scriptum esset: Dum Iesus coram Pilato iudice stabat. Notatur igitur aliquid quod non necesse est in eam ipsam incidere actionem cui insertum est. Ac videtur vero istud additamentum eam potissimum vim habere, ut nuntius de somnio uxoris non inter ipsam, cui interpositus est, deliberationem de reo paschatis caussa dimittendo advenisse existimetur. Quem in modum si Matthaei locum probabiliter explicuimus, nihil obstat quominus Pilati Actis ipsum tempus, quo adveniebat nuntius, accurate expressum putemus. Quod ut teneamus, etiam aliud est quod nos commovet. Quum enim evangelistae omnes quattuor, ut iam observavimus, minus ad id attenderint ut primas iudicii actiones diligenter describerent, mirum non est quod eorum nullus praeter Matthaeum de uxoris Pilati nuntio exposuit. Sin vero is nuntius intervenisse putandus esset quo tempore Pilatus quaestionem de absolvendo reo proposuisset, mirum esset a Luca Marcoque et Iohanne eum nuntium plane praeteriri silentio, quum omnes referant quae circa istam Pilati quaestionem versantur.

Ceterum apparet ipsum Matthaeum obiter tantum eam rem tetigisse. Nihil enim refert nisi verba uxoris, et ita quidem ut fere videantur a nuntio in scenam iudicii clamari: id quod a

brevitate relationis profectum est. Neque magis addit Pilatum nuntio uxoris ullo modo in rem suam usum esse, aut Iudaeos quicquam interposuisse quo nuntii momentum elevarent. Attamen verisimillimum est, tum Pilatum, quo esset dimittendi Iesum studio, minime sprevisse tam inopinatum voluntatis exsequendae suae subsidium, tum Iudaeos quae contra dicerent in expedito habuisse. Iamvero utrumque revera locum habuisse, disertis verbis auctor Actorum Pilati scripsit. Atque ita scripsit ut ipsa singula non minima probabilitate utantur. Textus enim, quemadmodum ex antiquis testibus nuper restitui, ita habet[1]: Ὁ δὲ Πιλᾶτος ἰδὼν ἔμφοβος γενόμενος ἐζήτησεν ἀναστῆναι ἀπὸ τοῦ βήματος. ἔτι δὲ αὐτοῦ ἐνθυμουμένου ἀναστῆναι, ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἔπεμψεν πρὸς αὐτὸν λέγουσα Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ ἀνθρώπῳ τῷ δικαίῳ τούτῳ· πολλὰ γὰρ ἔπαθον δι' αὐτὸν νυκτός. ὁ δὲ Πιλᾶτος προσκαλεσάμενος τοὺς Ἰουδαίους λέγει αὐτοῖς Οἴδατε ὅτι ἡ γυνή μου θεοσεβής ἐστιν καὶ μᾶλλον ἰουδαΐζει σὺν ὑμῖν. λέγουσιν αὐτῷ Ναί, οἴδαμεν. λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλᾶτος Ἰδοὺ ἔπεμψεν ἡ γυνή μου[2]) λέγουσα Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ ἀνθρώπῳ τῷ δικαίῳ τούτῳ· πολλὰ γὰρ ἔπαθον δι' αὐτὸν νυκτός. ἀποκριθέντες δὲ οἱ Ἰουδαῖοι λέγουσιν τῷ Πιλάτῳ Μὴ οὐκ εἴπαμέν σοι ὅτι γόης ἐστίν; ἰδοὺ ὀνειροπόλημα ἔπεμψε πρὸς τὴν γυναῖκά σου.

Quem locum b. Thilo in Cod. apocr. I. pag. 521 sq. breviter commentans improbabile duxit uxorem Pilati proselytam portae fuisse, quod in verbis ἡ γυνή μου θεοσεβής etc. omnino inest,

---

[1]) Cf. in ed. mea Gest. Pil. A. II, 1.

[2]) Hoc loco Thilo addidit nomen *Πρόκλα*. Omnino male: nomen enim istud in uno tantum codice Graeco invenitur; alii vero tres cum Latinis non habent.

idque marito suo aperuisse, atque magis etiam improbabile, Pilatum ea de re sic cum Iudaeis collocutum esse. Contra vero iam in libello apud Haganos publicato pag. 189 sq. recte monuisse mihi videor, Thilonis verba etiam contra relationem Matthaei dicta esse. Quodsi enim, ut haec inde repetam, illud πολλὰ παθεῖν δι' αὐτὸν κατ' ὄναρ verum est, neque minus est credibile matronam illam proselytam portae fuisse. Item si illud quod per noctem ei accidit marito renuntiavit pro tribunali sedenti, neque verosimile est celasse eam marito Iudaicis se sacris propensam esse. Pendet scilicet illa Thilonis de uxore Pilati opinio a crudelitate Pilati erga Iudaeos; sed hanc videndum est ne ipse cum aliis invito Iosepho finxerit.

Pergamus ad aliud, quod ut in Actis Pilati satis eminet, ita alienum est ab evangeliis nostris. Surgunt enim in Actis Pilati, dum primores Iudaeorum accusationem urgent, plures caussae Iesu defensores, neque desunt qui, quo erga ipsorum doctorem ac benefactorem animo sint, patefaciant lacrymis. Qua re postquam Münterus in Probabilibus suis[1]) magnopere delectatus est, Thiloni (vide Cod. apocr. I, 564 sq.) nihil visum est conferri ad narrationes evangelistarum supplendas. Mihi quoque grave videtur evangelistarum hac de re silentium. Accedit quod qui in Actis Pilati ad defendendum Iesum prodeunt, Nicodemus, vir ad piscinam Bethesdae sanatus, caecus natus, qui fuerat curvus, qui leprosus, mulier fluxu sanguinis per duodecim annos laborans, denique, de qua nihil definitius traditur

[1]) Vide: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte von Stäudlin und Tzschirner V, 317 sqq. ubi est: Probabilien zur Leidensgeschichte aus dem Evangelium des Nicodemus, von Dr. Friedr. Münter.

nisi quod Lazari e mortuis revocati mentionem iniecerit, multitudo virorum ac mulierum, ii ex evangeliis facile fingi poterant. Tamen vero multa sunt quae aliquid veri subesse suadent. Ac primum quid commune evangelistarum ea de re silentium valeat, ad ea iudicandum est quae unus alterve solus habet, in iis maxime rebus quae in gratiam Iesu, dum patiebatur, acciderunt: has enim minus diligenter quam quae aliter haberent ab evangelistis relatas esse haud obscurum est. Imprimis huc valent tria quae apud solum Lucam leguntur. Primum est quod Iesus a Pilato cum dimittendi studio ad Herodem Galilaeae principem remittitur; alterum quod mulieres lamentantes et plangentes comitantur ad supplicium euntem; tertium quod alter de latronibus cum eo crucifixis grave ac mirabile illud fidei exemplum dedit. Ultimo loco quod commemoravimus, quid dicturi essemus si in Actis Pilati solis legeretur? Nonne incredibile habendum esset propter Matthaei et Marci verba: τὸ δ' αὐτὸ καὶ οἱ λῃσταὶ οἱ συνσταυρωθέντες σὺν αὐτῷ ὠνείδιζον αὐτόν, et καὶ οἱ συνεσταυρωμένοι αὐτῷ ὠνείδιζον αὐτόν? Rursus apud solum Matthaeum nuntii de somnio uxoris Pilati mentio fit; item Iohannes solus refert, Pilatum eo consilio Iesum flagris caedi iussisse ut accusatores ad misericordiam vocaret, vel certe ut a supplicio capitis eorum animos averteret. Quae quum ita sint, nescio an in quaestione ea quae est de amicis Iesu commiserantibus eum atque defendentibus, argumentum ab evangelistarum silentio sumptum non satis sit firmum.

Sed licet ulterius progredi. Inde enim quod Lucas plangentes mulieres in comitatu Iesu ad crucem abducti fuisse testatur, et quod idem cum reliquis narrat amicos multos et cog-

natos adstitisse cruci vel certe interfuisse supplicio, non refugientes a rei ignominia, inde inquam facile concluseris nec defuisse qui lacrymantes in iudicio adessent, praesertim quum non tam in ipso praetorio quam extra praetorium Pilatus cum accusatoribus collocutus videatur. Omnino quaeritur, populi turbam quam cum accusatoribus coram Pilato adfuisse evangelistae tradunt, qualem cogitemus, quo animo, quo praesentem consilio. Hac in re non negligenda sunt Marci verba: καὶ ἀναβὰς (ἀναβοήσας) ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς. Videtur enim turba populi non tam venisse ut ad condemnandum Iesum vim exerceret suam, quam eius tuendi conservandique caussa. Quod si ita non fuisset, quo tandem iure Pilatus populo optionem dedisset eligendi aut Iesu aut Barabba? Fecisse hoc Pilatum ea mente ut Iesum servaret, dubium non est. At quid tandem spei habere poterat, fore ut Iesum ad liberandum eligerent, si non aderant nisi accusatores? Omnino fuisset Pilati quaestio ineptissima. Quod ne putemus, ipsi vetant evangelistae Matthaeus et Marcus, asserentes principes sacerdotum et seniores persuasisse populo (ἔπεισαν τοὺς ὄχλους, ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον) ut peterent Barabban. Quod autem satis obscure significarunt illi, id ex Actis Pilati planissimum fit. Nec enim, mea quidem sententia, modo id fidem habet quod praesidem intuentem circumstantes populos animadvertisse multos perhibent plorantes propterea que exclamasse: Οὐ πᾶν τὸ πλῆθος βούλεται αὐτὸν ἀποθανεῖν, senioribus contra dicentibus: Διὰ τοῦτο ἤλθαμεν ἅπαν τὸ πλῆθος ἵνα ἀποθάνῃ: verum etiam quod, ut lex fori Romani ferebat et Iudaeorum consuetudo, prodisse tradunt qui laudarent, qui defenderent reum factum, ad illu-

strandas supplendasque evangelistarum relationes aptum est. Caussis iis quas iam vidimus addendum est, quod primariae in defendendo partes Nicodemi fuisse dicuntur, id ab eius persona minime esse alienum. Quemadmodum enim non recusavit sepeliendi magistri curam cum Iosepho Arimathiensi suscipere — quod ipsum ab omnibus praeter Iohannem 19, 39. silentio praetermissum est — et iam anno ante, teste eodem Iohanne 7, 50. coram ipso synedrio invidia et ira concitato Iesu caussam egit: ita perquam credibile est defensorem Iesu in summo quoque discrimine eum exstitisse, praesertim quum ipse Pilatus iudex animum a damnatione hominis innocentis tam aversum ostenderet. Quae a Iohanne tribus evangelii locis de Nicodemo tradita sunt, intra biennium acciderunt. Quod per tantum temporis spatium caussae Iesu constanter eum favisse scimus, id iam aliquo numero putandum est; nec, opinor, rectum ii viderunt qui timiditatem Nicodemi magis quam fidem atque constantiam agnoscunt.

Ceterum ipsa quoque ea quae coram Pilato Iudaei ad Nicodemum rursusque Nicodemus ad Iudaeos dixisse perhibentur, magnam veri speciem habent. Relata enim defensione, cuius fides magis dubia videtur, Actorum Pilati capite V. sect. 2. hunc in modum scriptum est: Λέγουσιν τῷ Νικοδήμῳ οἱ Ἰουδαῖοι Σὺ μαθητὴς αὐτοῦ ἐγένου καὶ τὸν λόγον ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖς. λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Νικόδημος Μὴ καὶ ὁ ἡγεμὼν μαθητὴς αὐτοῦ ἐγένετο καὶ τὸν λόγον ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖ; οὐ κατέστησεν αὐτὸν ὁ Καῖσαρ ἐπὶ τοῦ ἀξιώματος τούτου; ἦσαν δὲ οἱ Ἰουδαῖοι ἐμβριμούμενοι καὶ τρίζοντες τοὺς ὀδόντας αὐτῶν κατὰ τοῦ Νικοδήμου.

Aliquamdiu ante hoc colloquium et quae id praecedebat

Nicodemi ceterorumque quos indicavimus defensionem alia quaedam defensio eaque satis singularis locum habuisse dicitur. Exprobrantibus enim Iesu quod adulterino sanguine natus sit, viri duodecim, quorum etiam nomina adscribuntur, prodeunt testantes desponsatam fuisse Iosepho Mariam seque ipsos interfuisse sponsalibus. Tota ea disputatio admodum suspecta est fraudis; nihil enim memoriae proditum est quod probet, Iudaeos Iesum dum viveret similiter calumniatos esse. A Celso quidem celebri Christianorum adversario ante medium saeculum secundum eadem criminatio, teste Origene, in medium prolata est; inventa vero ab eo non potest credi, quemadmodum etiam in tractatu talmudico qui Sanhedrin inscribitur locum est nacta. Quod in iudicio describendo ab evangelistis praeterita est, non tanti momenti videri possit propter Marci verba: κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά et ἴδε πόσα σου κατηγοροῦσιν: inde enim sequitur ab adversariis Iesu multo plura prolata esse quam evangelistae referant. Atque tale quid ab evangelistis eo facilius praetermitti poterat quoniam ad commendandum Pilato supplicium frustra adhibitum esse certum est. Attamen similius veri est evulgatis demum Matthaei et Lucae evangeliis calumniam istam a Iudaeis emanasse, ac magis etiam tum invaluisse quum scriberentur Pilati Acta. Hinc est enim quod auctor libelli eam rem tanta cum gravitate tractat, tantamque vim tribuit sponsalium Iosephi testibus. Id quod a posterioribus ecclesiae saeculis alienum est, proptereaque ad testandam libelli aetatem valet.

Haud pauca reliqua sunt examine perquam digna, sed eà hoc loco breviter indicasse satis habebimus.

Accusationem Iudaeorum inter crimen affectatae potestatis regiae et violatae ipsorum legis usurpataeque filii dei adpellationis per totum iudicium fluctuasse, in Actis Pilati diserte scriptum est: quod quidem, ut iam supra significatum est, non fit invita evangeliorum auctoritate. De priore crimine collocutum cum Iesu Pilatum Iohannes narrat. Atque idem prorsus colloquium in nostris Actis legitur, nisi quod a Pilati quaestione: Τί ἐστιν ἀλήθεια, in hunc modum pergitur: λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς Ἀλήθεια ἐξ οὐρανοῦ. λέγει ὁ Πιλᾶτος Ἐπὶ γῆς ἀλήθεια οὐκ ἔστιν; λέγει ὁ Ἰησοῦς τῷ Πιλάτῳ Ὁρᾷς, οἱ τὴν ἀλήθειαν λέγοντες πῶς κρίνονται ἀπὸ τῶν ἐχόντων τὴν ἐξουσίαν ἐπὶ γῆς. Haec non inepta sunt, quamquam in eo quod Pilatus, ut Iohannes auctor est, responsionem Iesu ne exspectat quidem, plus gravitatis inest.

De altero crimine evangelistae nihil accuratius perscripserunt; tamen eo pertinent verba Lucae: οἱ δὲ ἐπίσχυον λέγοντες ὅτι ἀνασείει τὸν λαόν, διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε, item quod Iohannes Iudaeos dixisse refert: Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι υἱὸν θεοῦ ἑαυτὸν ἐποίησεν. Hanc autem in rem satis quadrant ea quae in Pilati Actis IV, 2. leguntur. Postquam enim Pilatus Iudaeos docere studuit, quod Iesum de sanationibus et religione sabbati violata accusent, id non valere ad poenam capitis decernendam, seniores et sacerdotes cum Levitis a Pilato requisivisse dicuntur: Κατὰ Καίσαρος ἐάν τις βλασφημήσῃ, ἄξιος θανάτου ἐστὶν ἢ οὔ; affirmante vero Pilato conclusisse: Εἰ εἰς Καίσαρα ἐάν τις βλασφημήσῃ, ἄξιός ἐστι θανάτου, οὗτος δὲ κατὰ τοῦ θεοῦ ἐβλασφήμησεν.

Statim post haec Act. Pil. IV, 3. procurator Iesum interrogat: Τί ποιήσω σοι; et respondet Iesus: Ὡς ἐδόθη σοι. Quodammodo ista conveniunt loco Iohannis 19, 11: Οὐκ εἶχες ἐξουσίαν κατ' ἐμοῦ οὐδεμίαν εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν. Minus vero apta sunt quae sequuntur: λέγει ὁ Πιλᾶτος Πῶς ἐδόθη; λέγει ὁ Ἰησοῦς Μωυσῆς καὶ οἱ προφῆται προεκήρυξαν περὶ τοῦ θανάτου μου καὶ τῆς ἀναστάσεως etc. Rursus tamen quibus Pilatus Iudaeos ex Iesu verbis crimen blasphemiae confirmantes repellit, egregie habent: Εἰ οὗτος ὁ λόγος βλάσφημός ἐστιν, περὶ τῆς βλασφημίας λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ ἀπαγάγετε εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. Nec fere minus quod Iudaei ad legem ipsorum provocare perseverant; cui quominus ipsi satisfacerent, quum procurator se non morari significavit, tum plane id quod volunt profitentur: Ἡμεῖς βουλόμεθα ἵνα σταυρωθῇ. Nimirum in crimine synedrii circa Christum perpetrato illud omnino eminet quod Romanum procuratorem supplicii auctorem voluerunt. Quem quum variis sacrilegii criminationibus ad decernendam mortis poenam nequaquam commoveri intellexissent, affectatum a Iesu nomen regis urgebant. Qua in re maxime cum Iohanne Actorum auctor consentit. Iohannis enim verbis 19, 12: Ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς, οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος· πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι, respondent in Pil. Act. IX, 1. haec: Οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος ἐὰν τοῦτον ἀπολύσεις, ὅτι εἶπεν ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ καὶ βασιλέα· θέλεις οὖν τοῦτον βασιλέα καὶ οὐ Καίσαρα. Quae quamquam tandem Iudaeos ad propositum perducunt, tamen vix credibile est procuratorem contra insimulationem tam impudenter sibi ipsi inflictam nihil dixisse. Quae vero dixisse eum Acta Pilati perhibent,

ea certe ex aliqua parte nonnihil probabilitatis habent, imprimis quod respondet: Ἀεὶ στασιαστὸν τὸ ἔθνος ὑμῶν, καὶ τοῖς εὐεργέταις ὑμῶν ἀντιλέγετε, item καὶ νῦν καταγγέλλετέ μου ὅτι βασιλέα μισῶ. Nihilominus Iudaei ea in re persistunt, clamantes: Ἡμεῖς βασιλέα οἴδαμεν τὸν Καίσαρα καὶ οὐ τὸν Ἰησοῦν. Iesu vero crimen tanquam aemuli regni confirmant eo quod ad magorum adorationem et Herodis Magni persecutionem provocant. Horum neutrum non suspectum videbitur. At pro certo habitis quae Matthaeus secundo evangelii sui capite narrat, Iudaeorum verba nihil mirum aut a re alienum continent. Ac nescio an coniungi queant cum iis quae Lucas 23, 7 sqq. de Iesu ad Herodem remisso tradit. Nimirum apud ipsum Herodem (cf. Luc. 23, 10. εἱστήκεισαν δὲ - - εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ) prolati esse credi possunt, vel potius tum quum Pilatus ad populum dixisset nec Herodi caussam mortis in Iesu inventam esse, Luc. 23,15. Hoc sumpto ad amicitiam inter Herodem Antipan et Pilatum die illo restitutam (Luc. 23. 12.) pertinuisse videbitur quod mentio facta de Herodis patris persecutione nonnihil valuerit ad ferendam de Iesu tanquam Iudaeorum rege sententiam.

Ab ista igitur mentione insidiarum Herodis Magni, interiectis paucis, ad condemnationem pergitur. Quae antequam fiat, narratio Actorum Pilati proxime ad Matthaeum accedit 27, 24 sq. Imprimis autem id interest quod procurator apud Matthaeum ἀπέναντι τοῦ ὄχλου, in Actis Pilati ἀπέναντι τοῦ ἡλίου manus lavisse dicitur. Quod in Actis legitur, id non modo ex iudicum Romanorum usu fuisse testatum est (cf. Const. Apost. II, 52, 1 fin.), sed etiam in condemnatione Iesu a Pilato factum

esse in epistula imperatoria apud Theodoretum hist. eccles. IV, 7. confirmatur, ubi est: ἐπιστραφεὶς ἐπὶ τὰ τῆς ἀνατολῆς μέρη καὶ αἰτήσας ὕδωρ ἐπὶ χειρῶν. Utrum praestet, quaeritur: nisi forte in narratione magis quam in ipsa re discrimen est. Quum enim manuum lotio coram sole solis obtestandi caussa fiat, eandem coram populo fieri necesse est: consilium enim Pilati erat ut ostenderet populo sibi de innocentia Iesu persuasissimum esse. Facile autem a Matthaeo negligi poterat quod ea in re prorsus a ratione esset Romani iudicis: id quod in Actis Pilati fideliter expressum videtur.

Sed haec iam satis esse puto ad probandum Actorum Pilati, ut etiamnum supersunt, ingenium, atque ad aliorum de iisdem studia commovenda. Grata fore iis spero qui a sincera fide non alienum ducunt verum quaerere, quique evangelistarum virtutes sano iudicio pluris faciunt quam quae ficta laude augeri debeant. Qui quum, ut divina voluntas ferebat, nobis dederint unde aeterna humani generis salus pendeat, vana ambitio est velle nihil eos non perfecte aut non recte dixisse.

Scribebam Lipsiae die xxv. m. Febr. a. 1855.

Scripta haec sunt, ut in libelli nostri titulo est, ad recolendam memoriam CAROLI GODOFREDI GUILIELMI THEILE tanquam praesidis Societatis Exegeticae. Huic enim ille Societati praefuit per annorum triginta et unius spatium; nec fere iniquum est dicere, nulla eum re sacris litteris plus profuisse quam hac Societate regunda. Quod antequam paullo accuratius videamus, breviter explicabo de vita b. Theilii.

Natus est Corbethae prope Merseburgum die XXV. m. Febr. anno saeculi superioris nonagesimo nono, patre Iohanne Godofredo, verbi divini apud Corbethanos ministro, matre Elisabetha e gente Lessingia. Plures per annos gymnasium Merseburgense frequentavit; inde anno huius saeculi decimo septimo academiam Lipsiensem adiit. Lipsiae per quadriennium quum philosophicis et philologicis tum theologicis studiis operam dedit, ducibus usus clari nominis Beckio, Hermanno, Krugio, Rosenmüllero, Tittmanno, inque primis Winero. Anno 1821. doctor philosophiae creatus est, et ab anno 1823. venia theologiam privatim docendi impetrata scholas academicas aperuit; tribus annis post nactus est professionem philosophiae extra ordinem; quacum coniunxit, summos in theologia honores brevi ante adeptus, ineunte anno 1830. professionem theologiae extraordinariam. Hoc munere usque annum 1847. functus est, ubi in ipsum theologorum ordinem senatumque academicum est receptus. Per aliquot iam annos gravi oculorum morbo affectus, quum semestris hiberni initium instabat, obiit anno superiore die mensis Octobris VIII,

filiabus superstitibus quinque, uxore Bertha e gente Beyeria octo mensibus ante maritum defuncta.

Scholas igitur academicas, in quibus potissimum theologiam tum exegeticam tum systematicam docebat, ab anno 1823. usque 1854. habuit, quovis semestri plurimas, plerasque auditorum frequentia insignes. De libris quos publicavit imprimis nominandi sunt *Commentarius in epistolam Iacobi*, anno 1833. editus, praemissa anno 1829. *Notitia novi commentarii in Novum Testamentum;* item anno 1837. is cui titulum fecit: *Zur Biographie Jesu;* anno 1840: *Thesaurus literaturae theologicae;* anno 1846: *Rupps Ausschliessung, der Gust.-Ad.-Verein und das heilige neutrale Gebiet.* Quam postremo libello tractavit Societatem a Gustavo Adolpho cognominatam, ei socius et fautor addictissimus erat. Praeterea magna cum diligentia edidit tum *Novi Testamenti textum Graecum* (primum prodiit anno 1844; post ex typis fixis saepius repetitus est, anno 1852. addita Germanica Lutheri versione), tum *Veteris Testamenti Hebraicum* (primum prodiit anno 1849). Utroque labore usui academico consuluit, posteaque eodem ad adornanda Biblia polyglotta usus est, ad quae edenda inde ab anno 1846. cum viris cl. Rudolpho Stier et E. G. A. Boeckel societatem iniit.

Vir erat multis nominibus clarus. Cum acie mentis et iudicii subtilitate coniunctam habuit eruditionem magnam docendique dexteritatem. Industria et diligentia nemini cessit; etiam aetate provectior laborem saepe ad multam noctem produxit. In rebus quae ad doctrinam sacram pertinent, ut inter omnes constat, Pelagium magis quam Augustinum secutus est, fidem noluit ratione exemtam atque in religione magis quam in confessione salutem positam docuit. Constans et propositi tenax, idem vero, si pauca excipis, erga aliter sentientes indulgens. Excelluit morum probitate vitaeque integritate, modestia animique candore, officiosa erga studiosam iuventutem voluntate, antiqua erga amicos fide. Tot laudibus

insignis quum esset, fieri non potuit quin bene mereretur de academia, de patria, de sacris litteris. Quod quo iure dicamus, nulla re probari evidentius poterit quam si paullo accuratius de Societate Exegetica videbimus.

Haec Societas condita est mense Iulio anni 1817. a viro S. Ven. G. B. Winer, viguitque eodem praeside ad annum usque 1823. quo vir de sacris litteris iam tum bene meritus Lipsia Erlangam vocatus est. Intra hos annos sex Societati Exegeticae iam quadraginta socii adscripti erant, inter quos locum decimum septimum tenebat C. G. Gu. Theile. Idem vero paucis mensibus post Wineri ad Bavaros abitum, mense Octobri a. 1823. Societatem ipse moderari coepit. Ac moderatus est ab eo inde tempore usque ad annum superiorem quo vita decessit, exercitationibus fere nunquam nisi feriarum caussa intermissis. Hoc per tempus ad priora nomina quadraginta accesserunt fere ducenta. Qua autem inter cives academicos fama floruerit, iudicari poterit ad nomina eorum qui operam dederunt ut in sociorum numerum adsciscerentur. Horum enim permulti et ipsi in claritudinem pervenerunt, vel munerum quae gesserunt gravitate vel scriptorum quae ediderunt praestantia, vel eruditione vel vera pietate prae ceteris laudem quaerentes, de ecclesia evangelica variis modis promerentes. Haud exiguus eorum est numerus qui postea in variis Germaniae academiis theologiam professi sunt. Horum nomina adposito receptionis numero adscribam: Car. Guilielm. Niedner (22), Car. Fr. Aug. Fritzsche (35), Ferd. Flor. Fleck (38), Theod. Alb. Liebner (47), Rud. Anger (53), Car. Henr. Ed. Lommatzsch (56), Aug. Ferd. Dähne (58), Ern. Frid. Gelpke (63), Ioh. Gust. Frid. Billroth (64), Fr. Rud. Hasse (67), Herm. Gust. Hoelemann (80), Guilielm. Bruno Lindner (107). Ad hos ipse quoque accessi numero 109. aestate anni 1836. Iam ante Theilium ex horum collegarum numero mortui sunt Billrothius, Fleckius, Fritzschius.

Ex iis qui posthac ludis litterariis et quae dici solent seminariis se dederunt, vel professorum vel gubernatorum munere fungentes, exempli caussa horum adscribam nomina: Ioh. Car. Lebr. Hantschke (1), Henr. Frid. Richter (26), Guil. Ferd. Korb (32), Iul. Frid. Böttcher (34), Georg. Fr. Aug. Beyer (43), Ioh. Aug. Köhler (45), Fr. Ad. Heinichen (48), Car. Fr. Guil. Clemen (54), Car. Fr. Chr. Schüler (62), Arm. Kühn (72), Aug. Frid. Müller (92), Lud. Franc. Götz (96), Gust. Mor. Franz (111), Car. Arm. Baltzer (113). Alii a consiliis ecclesiasticis facti sunt, ut Ern. Aenoth. Roth (3), Chr. Mor. Heymann (6), Ew. Fr. Hoffmann (70), Rob. Otto Gilbert (78): alii rerum sacrarum antistites, ut Ad. Theod. Haase (39; Super. regni Galliciae), Car. Guil. Pollmann (40), Fr. Lebr. Liebe (49), Chr. Gotth. Ficker (85): alii iique plurimi procurandis sacris praefecti, ut Sam. Guil. Wirthgen (14), Fr. Guil. Schweinitz (23), Ios. Schimko (27), Car. Iul. Klemm (41), Aug. Fr. Unger (49), Arm. Ant. Volkm. Fiedler (68), Gust. Ed. Platz (71), Fr. Zeidler (81), Car. Arm. Bruder (82), Mor. Aug. Behr (100); item qui aetate paullo posteriores sunt, Maxim. Arm. Frotscher Curt. Aem. Tauberth, Ern. Edm. Michaelis, Aug. Arm. Rühle, Fr. Aug. Schütz, Aug. Ioh. Schweingel, Ern. Car. Aenoth. Siedel.

Factum est etiam variis temporibus ut Societatis nomine libelli ederentur. Horum initium fecit is ipse qui Societatem condidit, edendo libello cum hoc titulo: *Nachricht über die seit 1817. bestehende Gesellschaft* etc. *Voran: Exeget. Bemerkungen über die Ironieen in den Reden Jesu, und ein kleiner Nachtrag zu Gal.* 3, 20. Ex iis scriptis quae post prodierunt prae manibus mihi haec sunt: *De paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Ap. frequentatis. Diss. rhetor. exeg. Scripsit* Iul. Frid. Böttcher. P. I. *rhetor. hist.* 1823. P. II. *hermeneut. crit.* 1824. *De interpretatione sacra cum profana feliciter coniungenda. Comm. exegetica* etc. (auctore)

Arm. Gust. Hoelemanno. 1832. *Diss. exegetica de loco Pauli 1 Cor. cap. XV. v.* 12—19. (auctore) Aug. Fr. Mueller 1839. *De ev. Matth. cap. XIX. v.* 16. *et seq. diss. critica et exegetica* etc. (auctore) Const. Tischendorfio. 1840.

Superest ut breviter dicamus quae exercitationum Societatis Exegeticae ratio sit, revocata illa quidem nuperrime ad pristinum modum, a quo hos ultimos per annos satis discessum erat.

1. Breves elaborantur dissertationes, quae postquam a singulis commilitonibus domi perlectae sunt ad disputationem adhibentur.

2. Fiunt sociorum disputationes de thesibus. Hae theses ab eo qui proponit octo diebus ante cum omnibus communicandae sunt. Deligitur qui primarias opponendi partes sustineat; qui postquam dixit, ceteri dicunt.

3. Instituuntur a praeside examina exegetica, loco qui tractetur hebdomade ante indicato.

4. Eiusmodi examina ad exemplum praesidis ab ipsis sociis habentur.

Ceterum hae exercitationes ad Novum Testamentum pertinent, non excluso Veteri, quatenus arctiore vinculo cum Novo nexum est. Omnes exercitationes Latino sermone habentur.

SODALES

SOCIETATIS EXEGETICAE LIPSIENSIS

HOC IPSO TEMPORE:

Ernestus Albertus Lehmann, Possendorfa Dresdensis, Senior I.
Christ. Godofred. Hüttig, Oberleutersdorfa Lusatus, Senior II.
Aenoth. Arminius Hoppe, Geithainensis.
Frid. Ernest. Achilles, Groitzscha Pegaviensis.
Alfredus Resch, Graiciensis.
Franc. Eduard. Fischer, Köstritia Geranus.
Guilielmus Schoedel, Schneebergensis.
Guilielmus Pietzsch, Geranus.
Georg. Rud. Iul. Hünersdorf, Witznitia Bornensis.
Dr. phil. Hugo Laemmer, Allensteina Borussus.
Gust. Hugo Schäcker, Callnberga Lichtensteinensis.
Carol. Ernest. Neldner, Stollberga Chemnitiensis.

LIPSIAE,

IMPR. GIESECKE & DEVRIENT.

TISCHENDORFIANA.

Doctrina Pauli Apostoli de vi mortis Christi satisfactoria. Praemio regio ornata. 1837. 1/3 Thlr.

Disputatio de Christo pane vitae sive de loco Joh. VI, 51—59. coenae sacrae potissimum ratione habita. Ornata praemio Ammoniano. 1839. 1/3 Thlr.

Dissertatio critica et exegetica de Matth. XIX, 16 sq. 1840. 1/4 Thlr.

De Israelitarum per mare rubrum transitu. Cum tabula. 1847. 8 Ngr.

Reise in den Orient. 2 Bände. 1845, 1846. 3½ Thlr. (Travels in the East. Translated from the German by W. E. Shuckard. London, Longman & Co. 1847. 6 Sh.)

Codex Ephraemi Syri rescriptus sive Fragmenta utriusque Testamenti e codice Graeco Parisiensi celeberrimo quinti ut videtur post Christum saeculi. Eruit atque edidit C. Tischendorf. 2 tomi. 1843, 1845. 27 Thlr. (Fragmenta Novi Testamenti 1843. 18 Thlr. Fragmenta Veteris Testamenti 1845. 9 Thlr.)

Monumenta sacra inedita sive Reliquiae antiquissimae textus Novi Testamenti Graeci ex novem plus mille annorum codicibus per Europam dispersis. Eruit atque edidit C. Tischendorf. 1846. 18 Thlr.

Codex Friderico-Augustanus sive Fragmenta Veteris Testamenti e codice Graeco omnium qui in Europa supersunt facile antiquissimo. In oriente detexit, in patriam attulit, ad modum codicis edidit C. Tischendorf. 1846. 32 Thlr.

Evangelium Palatinum ineditum sive Reliquiae textus evangeliorum Latini ante Hieronymum versi ex codice Palatino purpureo quarti vel quinti post Christum saeculi. Nunc primum eruit atque edidit C. Tischendorf. 1847. 18 Thlr.

Codex Amiatinus sive Nov. Test. Latine interprete Hieronymo. Ex celeberrimo codice Amiatino omnium et antiquissimo et praestantissimo nunc primum edidit C. Tischendorf. 1850. (6 Thlr.) Editio repetita 1854. 4 Thlr.

Codex Claromontanus sive Epistulae Pauli omnes Graece et Latine ex codice Parisiensi celeberrimo nomine Claromontani plerumque dicto. Nunc primum edidit C. Tischendorf. 1852. 24 Thlr.

Monumenta sacra inedita. Nova Collectio. Vol. I: Fragmenta sacra palimpsesta sive Fragmenta cum Novi tum Veteris Testamenti ex quinque codd. Graecis palimpsestis antiquissimis nuperrime in oriente repertis. Addita sunt fragmenta Psalmorum papyracea et fragmenta evangelistariorum palimpsesta, item fragmentum codicis Fr.-Augustani. Nunc primum eruit atque edidit C. Tischendorf. 1855. 16 Thlr.

Novum Testamentum Graece. Ad antiquos testes recensuit, apparatum criticum multis modis auctum et correctum apposuit, commentationem isagogicam praemisit C. Tischendorf. Ed. Lips. secunda. 2⅔ Thlr. Lipsiae, A. Winter. 1849. (Ed. Lips. prima 1841.)

Novum Testamentum Graece et Latine. In antiquis testibus textum versionis vulgatae Latinae indagavit lectionesque variantes Stephani et Griesbachii notavit, viro s. v. Jager in consilium adhibito, C. Tischendorf. Archiepiscopo Parisiensi dicatum. Parisiis, 1842. 1849. 12 frcs. Idem sine versione Latina. 3½ frcs.

(**Novum Testamentum Graece.** Ad antiquos testes recensuit, lectionesque variantes Elzeviriorum, Stephani, Griesbachii notavit C. Tischendorf. Parisiis, 1842. 4 frcs.)

Novum Testamentum Graece. Recensuit C. Tischendorf. 1850. 27 Ngr. (Editio Tauchnitiana.)

Novum Testamentum triglottum. Graece Latine Germanice. Graecum textum addito lectionum variarum delectu recensuit, Latinum Hieronymi notata Clementina lectione ex auctoritate codicum restituit, Germanicum ad pristinam Lutheranae editionis veritatem revocavit C. Tischendorf. 1854. 2 Thlr.

Novum Testamentum Graece. Ad antiquos testes recensuit inque usum academicum instruxit C. Tischendorf. Editio academica ex Triglottis. 1855. 2/3 Thlr.

Das Neue Testament. Deutsch von Dr. Martin Luther. Nach den Originalausgaben revidirt und mit einem Vorworte begleitet von C. Tischendorf. 1855. 2/3 Thlr.

Synopsis evangelica. Ex quatuor evangeliis ordine chronologico concinnavit, praetexto brevi commentario illustravit, apposito apparatu critico recensuit C. Tischendorf. 1851. 1 2/3 Thlr. Editio in commodum academicum repetita 1854. 1 1/3 Thlr.

Vetus Testamentum Graece iuxta LXX interpretes. Textum Vaticanum Romanum emendatius edidit, argumenta et locos Novi Testamenti parallelos notavit, omnem lectionis varietatem codicum vetustissimorum Alexandrini, Ephraemi Syri, Friderico-Augustani subiunxit, commentationem isagogicam praetexuit C. Tischendorf. 2 tomi. 1850. 4 Thlr. Vide infra.

De evangeliorum apocryphorum origine et usu. Disquisitio historica critica, ornata praemio aureo societatis Haganae pro defendenda religione Christiana. Scr. C. Tischendorf. Hagae Comitum 1851. 1 1/6 Thlr.

Evangelia apocrypha. Adhibitis plurimis codd. Graecis et Latinis maximam partem nunc primum consultis atque ineditorum copia insignibus ed. C. Tischendorf. 1853. 3 2/3 Thlr.

Acta apostolorum apocrypha. Ex triginta codd. Graecis vel nunc primum eruit vel secundum atque emendatius edidit C. Tischendorf. 1851. 2 2/3 Thlr.

Sub prelo sunt:

Vetus Testamentum Graece iuxta LXX interpretes etc. Editio altera correctior et auctior.

Nov. Testamentum Graece etc. Editio septima. Critica maior.

Anecdota sacra et profana ex oriente et occidente allata, sive Notitia codicum Graecorum, Arabicorum, Syriacorum, Copticorum, Hebraicorum, Aethiopicorum, Latinorum, cum excerptis multis maximam partem Graecis pluribusque scripturarum antiquissimarum speciminibus.

Item:

Apocalypses Mosis, Esdrae, Johannis, Pauli. Accedit Mariae transitus cum aliis similibus. Ex pluribus codd. Graecis nunc primum edidit C. Tischendorf.

LIPSIAE, IMPR. GIESECKE & DEVRIENT.